

lum aut fecet, aut cum eodem concurrat. Ea ipsa enim  $CE$  linea erit iterum Media Proportionalis inter lineas  $A$  &  $B$  datas, &c.

Ex hoc porro Problemate instar consecutarij promanat & Problema sequens.

*VII. Quomodo dato Parallelogrammo aequale quadratum construi debeat.*

Quærat<sup>r</sup> inter duo latera  $AC$  &  $CI$  dati Parallelogrammi (*proximi schematis*) media proportionalis  $EC$ , describaturq; ex eâ quadratum  $CEFD$ .

*VIII. Quomodo datis duabus rectis lineis tertia Proportionalis habeatur.*

Sunto duæ lineæ  $AD$  &  $DC$  datæ, quærendaq; sit tertia Proportionalis, ad quam scilicet  $DC$  se habeat, ut  $AD$  ad  $DC$ : vel quæ se ad  $DC$  habeat ita ut  $DC$  ad  $AD$ . Quomodo in numeris id fiat, constat ex ijs, quæ ad *Theorema hujus Capituli IV.* dicta sunt. In lineis etiam processus est facilimus. In *schemate Problem. VI.* primo erectâ minori  $CD$  ipsi majori  $AD$  perpendiculariter, connectantur puncta  $A$  &  $C$  per Rectam  $AC$ ; erigaturq; ex  $C$  linea  $CB$  lineæ  $AC$  perpendicularis, ad cujus concursum in  $B$  si linea  $AD$  continuetur erit  $DB$  linea quæsita. Ut enim se habet  $AD$  ad  $DC$  ita  $DC$  ad  $DB$  per superiora.

*IX. Quomodo datis tribus rectis lineis quarta proportionalis haberi possit.*

In numeris expedita *superius Theor. IV.* est ratio operandi: nec difficilior in lineis videbitur hoc loco. Si enim duæ vel tres lineæ dentur continuè proportionales, facilimum fuerit, in primo casu tertiam, in secundo quartam, quin & in infinitum quintam, sextam, &c. Proportionalem invenire *ex Probl. Ul. Cap. VII.* Si verò tres dentur lineæ, quartaq; quærat<sup>r</sup> in portione disjuncta, commodissimè id fiet sequenti modo. In *schemate (Capituli IX. de Trianguli sectione Parallelâ)* sunt tres